DISSERTATIO TH
EXEGETICO-DOC
IN VERBUM
IN CRUCE PEN
QUART
Pſ. XXII. 2. Matth. XXVII.
DEUS MEUS, DE
QUARE DERELIQ

QUAM
AUXILIANTE DIVI
SUB PRÆSI
VIRI SUMME R
DOMIN
CHRISTIANI E
WEISMA
SS. THEOL. DOCT. ET PRO
ECCLESIÆ TUB. DECANI, ET
THEOLOGICI SUPERAT
FAUTORIS ET PRÆCEPTOR
COLENDI

AD DIEM MENS. MARTII
In Auditorio Juridico
DEFENDET Au
M. JOHANNES ANDREAS W
SS. Theol. Stud. & Sereniſ

TUBING
LITERIS MEZI

THEOLOGICA

-DOGMATICA

M CHRISTI

PENDENTIS

RTUM

XVII. 46. Marc. XV. 24.

, DEUS MEUS,

ELIQUISTI ME?

QUAM

DIVINA GRATIA

RÆSIDIO

E REVERENDI

MINI

I EBERHARDI

MANNI,

T PROF. PUBL. ORDINARII

NI, ET DUCALIS SEMINARII

UPERATTENDENTIS,

PTORIS SUI SUMMOPERE

OLENDI

MARTII A. D. MDCCXLVI.

idico horis consuetis

DET AUCTOR

EAS WAGNER, Bahlingensis,

& Serenis. Stipendiarius.

INGÆ,

MEZIANIS.

§. 1.

DEum ab homine deſeri per libertatis abuſum & malitioſam animi averſionem, & hunc contra a Deo deſeri, & pravis deſideriis ſuis derelinqui in judicium illius, imo & aliquando pios homines a Deo deſeri in tentationibus ad promovendam illorum ſalutem, veritates ſunt ex ſacris litteris notiſſimæ, & primariæ doctrinæ, ob alias derelictiones in ſacro codice expoſitas, in illis quidem fundatas, nominari merentur.

§. 2.

Deum deſerere, quid indicat aliud, quam ſanctum Jehovam ſpernere, legem ipſius transgredi, retrocedendo ſe alienare, ei non confidere? uti id patet ex dictis ſeqq. Pſ. 119, 53. Jeſ. 1, 4. 28. c. 65, 11. Jer. 1, 16. c. 2, 13. 17. 19. Hoſ. 4, 10. Quam derelictionem Theologi *liberam* & *malitioſam* Dei derelictionem vocant; qua creatura rationalis peccatrix, ſive angelica, ſive humana, meretur pœnam, quæ cum illa derelictione connexa eſt, & derelictionem a Deo *judiciariam* habet conſequentem, quæ ſpiritualis Dei vindicta eſt, qua is deſertionem ſui ulciſcitur, & in privatione fruitionis gratiæ atque in ſenſu contrario iræ divinæ conſiſtit.

§. 3.

Derelictio *divina* ratione modi non incommode in *externam* & *internam* diſtingui poteſt. *Externa* eſt, quando Deus hominem afflictionibus corpus prementibus exponit, & in illis ſimul quoque ſuum auxilium homini eripit. *Interna* vero eſt ſubtractio internæ conſolationis in malis. Porro ratione *durationis* derelictio *divina* eſt vel *perpetua*, vel *temporaria*. *Perpetua* alias rigoroſa, finalis, omnimoda & totalis vocatur, qua Deus hominem in incredulitate finaliter perſeverantem rejectis omnibus gratiæ mediis omni ſenſu gratiæ ſuæ, ſive omni ſua gratia atque amore irrevocabili abjectio-

 ne

ne privat, cui adhuc magis mali subjecti sunt angeli; hæcque alterius est vitæ ac seculi. *Temporaria* vero est, quæ in subjectione hominis passiva sub afflictiones externas, & in subtractione divini auxilii in illis, atque sensus gratiæ divinæ, vel ex ira & odio adversus peccata, vel ex amore, orta, consistit; eaque in hoc cadit seculum. Quæ temporaria derelictio, uti ex definitione ipsius patet, iterum vel *apparens* vel *vera* est.

§. 4.

Derelictio *temporaria*, eaque *apparens*, est ea, quando Deus ex amoris motivis homines afflictionibus tradit, & illis in malis istis aliquandiu auxilium suum subtrahit, atque privat insuper sensu internæ gratiæ absque mali pœnalis ratione proprie dicti. Hæc solos respicit pios, atque in derelictionem *explorationis* & *correctionis* dividitur. Derelictio *explorationis* est, qua Deus interdum subtracto ad tempus fidelibus sensibili auxilio, sensuque gratiæ internæ, eorum fidem constantiamque periclitatur. Derelictio *correctionis* autem est ea, qua Deus fideles languidos privat tantisper auxilio in malis externis & sensu gratiæ internæ, ut eorum zelum in fide & pietatem excitet, iique in via salutis alacritate majore & incenso magis ardore incedant. Hanc derelictionem in tantum veram dixeris, in quantum vere habet aliquid castigationis divinæ; apparentem vero, in quantum ea non ad extremum gradum, aut ipsius status gratiæ amissionem progreditur.

§. 5.

Derelictio autem *temporaria vera* est, quando Deus ex ira & odio adversus peccata homines afflictionibus exponit, & privat illos externo auxilio in malis & statu gratiæ internæ; hocque sensu illa pertinet ad pœnalia peccatorum mala; & respicit vel homines improbos gratia divina malitiose & pertinaciter abutentes; vel alios in peccata proæretica contra conscientiam derelictione humana ex statu gratiæ relapsos, communione proin divina totaliter privatos, præveniente licet gratia semper in hac vita requirendos.

§. 6.

Derelictionem temporariam, eamque veram, ipse quoque Filius Dei incarnatus pro nobis passus est, quæ erat rigorose τιμωρητικη, exactiva pœnæ pro humano genere exantlandæ, actus justitiæ Patris

erga

erga Filium sponsorem, & hoc respectu non est apparens, sed vera; consequenter inter illam atque aliorum fidelium derelictionem reale discrimen est, uti hoc observavit *Summe Rev. D. D.* WEISMANNUS, *in suis Inst. Theol. exegetico dogmaticis p. 620.* §. *38.* Fuit praeterea & externa & interna derelictio §. 3. constitit nempe haec *vindicativa* & *poenalis derelictio Christi* secundario in cruciatibus corporis §. 18. & primario in doloribus animae §. 19. Ea enim fuit, qua Deus unitrinus §. 14. Christum θεανθρωπον §. 15. ex ira atque odio adversus peccata mediatorio nomine ab eo suscepta ipsique imputata §. 16. eum non quoad corpus solum omnibus perpessionibus tradidit, & auxilium liberans a cruciatibus externis & morte temporali illi denegavit §. 18. sed praesertim quoad animam illi subtraxit fruitionem divini solatii, §. 19. atque ita vehementissimum irae suae sensum in eum effudit, ut hoc modo expiaret poenam omnem peccatorum, in qua nobis in aeternum alias manendum fuisset, nisi Christus illam pro nobis, etiam in sui derelictione, subeundo justitiae Dei satis fecisset. In hanc Filii Dei incarnati derelictionem admirandam cogitationes nostras nunc propius dirigemus, eamque pro modulo ingenii nostri exponemus, expositam rationibus idoneis pro virili fulciemus, fultam ab argumentis adversariorum vindicabimus.

§. 7.

Haec stupenda Christi derelictio legitur in historia perpessionum ejus & quidem Matth. cap. 27, 46. & Marci cap. 15, 34. quorum dictorum sedes est Ps. 22. impugnatus quidem a quibusdam dicentibus, esse in illo sensum compositum; totum scilicet Psalmum primario agere de miseriis Davidis, & secundario demum de perpessionibus Messiae; eum typice tantum agere de Christo. Sed illos ut hic audiamus, necesse non est. Unusquisque enim hunc Psalmum & N. T. perlegens facile intelliget, illum totum fuisse in Christo in N. T. impletum. Sic v. 11. hujus Psalmi in Christo fuit impletus, conf. Matth. 27, 46. Marci 15, 34. Verss. VII. VII. XVIII. vid. Matth. 26, 57. 67. 68. cap. 27, 2. 28-31. 36-44. 47-49. 63-66. cap. 28, 13-15. Marci 14, 48. 53. 63. cap. 15, 1. 17-20. 26. 32. 35. 36. Luc. 22, 47. 52. 54. 63-65. cap. 23, 1. 2. 3. 37-39. Joh. 18, 12. 13. 19. 22. 24. 30. 33. 38. cap. 19, 1-3. 9. vid. Matth. 27, 43. Vers. XIII-

XVII. Paſſiones in his verſibus metaphorice expreſſas in hiſtoria perpeſſionis Jeſu magnæ explicatas enarrant Evangeliſtæ, uti patet, ex Matth. 26, 47. 55. 57. 59. 66. cap. 27, 1. 2. 11. 12. 20-27. 35. 36-44. 47. 50. 60. 66. Marci 14, 43. 46. 48. 55-65. cap. 15, 1-37. 46. Luc. 22, 47. 52. 54. 63-71. cap. 23, 1-25. 32. 33. 35-39. 46. 53. Joh. 18, 3. 12. 13. 19-24. 28-40. Joh. 19, 1-23. 30. 34. 41. Vers. XIX. conf. Matth. 27, 35. Marci 15, 24. Luc. 23, 34. Joh. 19, 23. 24. Vers. XXIII. vid. Ebr. 2, 12. Denique illi, cujus perpeſſiones in hoc Pſalmo enarrantur, promittitur univerſalis gentium converſio in verſs. 28-31. id quod ſoli Meſſiæ competit. Dicitur quidem, paſſiones in v. 17. hujus Pſalmi occurrentes de Davide vel aliis hominibus metaphorice poſſe intelligi, ita ut ſenſus ſit, Davidem vel alios homines non ſecus conſtringi ab hoſtibus, quam qui perfoſſis manibus & pedibus ligno affigatur. Sed hoc nimis dilutum eſt, & recedunt ita ſentientes a littera & ſenſu immediato, a proprietate ſine neceſſitate urgente ad improprietatem in S. Scriptura nullibi expoſitam. E contrario Chriſtum ſolum ita manibus pedibusque transfoſſum & expanſum legimus, ut omnia potuerint ipſius oſſa dinumerari Matth. 27, 35. Marc. 15, 27. Luc. 23, 33. Joh. 19, 18. vid. Affelm. Syntagm. Theol. P. 2. p. 57-59. Agit itaque hic Pſalmus primario, nec typice ſolum, de Chriſto ejusque perpeſſionibus.

§. 8.

Et priora verba v. 2. hujus Pſalmi אלי אלי למה עזבתני noſter optimus Salvator in in ara crucis pendens exclamavit; quæ Summe Rev. Præp. Bengelius in Ed. ſ. N. T. ſic repræſentat apud *Matthæum:* Ηλι, ηλι, λαμα σαβαχθανι, τȣτ᾽ εςι, Θεε μȣ, Θεε μȣ, ινατι με εγκατελιμες. In Marco vero hoc modo: ελωι, ελωι, λαμα σαβαχθανι, ο εςι μετερμηνευομενον, ο Θεος μȣ, ο Θεος μȣ, εις τι με εγκατελιπες. Eſt quidem in verbis diſconvenientia & Pſalmi & loci utriusque *Matthæi* & *Marci;* quæ autem apparens diſſimilitudo ſenſum non mutat. Nam σαβαχθανι idem ſignificat quod עזבתני ſcilicet dereliquiſti me, conf. Dan. 2, 44. cap. 4, 23. Quare etiam *Paraphraſtes Chaldæus* vocem שבק pro עזב in Pſ. 22, 2. adhibuit, & illa in verſione Syriaca Matth. 27, 46. occurrit. Nec cum iſta voce hic ſenſus *glorificaſti me*, uti alii voluerunt, connecti poteſt; quia humani generis Redemtor profundiſſimam & abjectiſſimam exinanitio-

nitionem sui, si unquam alias, hic pertulit, cum hæc verba loqueretur. vid. GERHARDUS *in sua Harm. Evang. T. II. P. IV. V. cap. CCII. p. 252.* J. C. WOLFIUS *in Curis Phil. & Crit. p. 408. & 535.* Nec videtur verosimile, Jesum hæc verba bis, nunc hebraice, nunc Chaldaice in cruce pronunciasse; sed semel id factum statuimus, quia sensus utrobique est idem, ut in pluribus aliis, quæ recensent Evangelistæ. Et quidem licet plures dialecto Chaldæo-Syriaca tum usitata in communi vita Jesum ea protulisse putent; tamen *Rusio* accedimus affirmanti, quod Christus hic sermone hebraico usus fuerit. Christus enim in omnibus scripturam, sic & in hac parte eam implere voluit; & uterque Evangelista vocem hebraicam עזב cum Chaldaica שבק studio mutavit, quoniam eo tempore referente *Josepho* lingua hebraica Judæis non amplius vernacula erat; sed Chaldaico-Syriaca in communi vita utebantur. Itaque hæc mutatio hujus vocis עזב in שבק ob insciriam Judæorum facta esse videtur. Non autem sermone solo hebraico Christus hic usus est; sed & formalibus Ps. 22, 2. quæ Matthæus accurate retinuit, & reddidit magis hebraice, quam Marcus. Repetit enim vocem hebraicam אלי qua Christus in hoc verbo usus est, uti patet ex virulentissima illusione cruci adstantium Matth. 27, 47. seqq. Marci 15, 35. 36. Non potuissent tam facile, Eliam a Christo vocari, existimare, si usurpasset ελωι; sed sonus ηλι ad Eliam proxime accedebat. conf. *Asselm. Syntagm. Theol* P. II. p. 63. Marcus autem Syriacam, eamque paululum inflexam adhibet ελωι, quæ secundum *S. Rev.* BENG. *Gnom. N. T. p. 196.* & HILLERUM in Lex. Onom. p. 707. nascitur ab אלהי numero plurativo. RUSIUS vero *in sua Harm. Evang.* eam derivat ex sing. אלהי hebraica voce pura deducit.

§. 9.

Pergimus nunc ad versionem *Septuaginta interpretum* Ps. XXII. v. 2. in qua verbum hoc Christi quartum sic exprimitur: ο Θεος, ο Θεος μου, προσχες μοι, ινατι εγκατελιπες με. Quam interpres vulgatus in sua versione sequebatur hoc modo illud repræsentans: *Deus meus, Deus meus, respice in me, quare dereliquisti me?* Ita in duabus his versionibus non το ρητον, ipsius vero sensus occurrit. Denique in versione sua LUTHERUS illud sic reddidit: *Mein GOtt, mein GOtt, warum hastu mich verlassen?* Pauca sunt, sed multum involvunt.

§. 10.

§. 10.

Priusquam vero ad ipsam exegesin specialiorem tantæ rei progrediamur; forte non abs re est, generales quasdam indicare regulas, quarum neglectus simplicem & puram veritatem non potest non turbare, imo revera plerisque excessibus aut defectibus in hac caussa occasionem præbuit. Notandum scilicet, capitalem esse doctrinam, Christum Dominum, uti in passionibus suis Mediatoriis in universum, ita & in derelictione sui, omne id in se vice nostra recepisse sustinendum, quod Patri suo cœlesti pro summa sua sapientia & justitia ipsi imponere visum est, & quousque sacrosancta ejus humanitas admittendi capax fuit sine detrimento status sui, & sanctorum finium, quorum caussa hæc omnia facta sunt. Hinc cavendum esse quam maxime, ne credamus, absolute necessarium esse, ut easdem prorsus pœnas, omnesque earum gradus & circumstantias in se admitteret Christus Dominus, quæ peccatoribus ob peccata alias justissime incumbunt, si quidem ejus satisfactio, quam vocant, vicaria, valere debeat; cum apertum sit, neque Dei intentionem hanc fuisse in Mediatore constituendo, neque in persona Mediatoris absque illius læsione & totius finis redemtionis potuisse habere locum. Porro non vagis hic tantum ratiociniis caussam hanc arduam esse tractandam, sed claris Scripturæ S. testimoniis, quæ nequaquam deficiunt, cum in explicatione, tum in probatione, veritatum eo pertinentium esse innitendum. Denique cum derelictio Christi in cruce pars fuerit summarum illarum passionum, quas ille ut Mediator noster pro nobis sustinuit, rectissime utique fieri, si ipsa quoque derelictio non ex separatis & paucis illis verbis tantum, sed ex tota analogia & justa comparatione totius doctrinæ de passionibus Christi mediatoriis illustretur, uti hucusque a *Theologis* nostris jure factum est, & nos quoque idem secundum ipsorum vestigia filum sumus secuturi.

§. 11.

Propius ad rem si nunc accedamus, ipse sane textus noster clarissime ostendit ante omnia, Christum Dominum in eo minime loqui in persona vel generis humani, vel in specie populi Judaici, & lamentari sive hujus, sive illius conditionem, cur Deus illum, vel istud ita dereliquerit? Præterquam quod ex aliis quoque rationibus

bus id nequaquam sit verisimile; quas heic cumulare nolumus, *sibi* Christus hanc derelictionem adscribit, non aliis, dum ait: *cur dereliquisti me?* §. 15. Qui ad istas cogitationes delapsi sunt, ideo hanc viam inierunt, quia capere non potuerunt, quomodo Christus de se ipso tale quid enunciare potuerit? Enimvero in officio suo sacerdotali, ut postea suo loco pluribus verbis monstrabimus, consideratus vere hoc pati & dicere potuit, utut alio sensu & extra hunc respectum non potuerit §. 16.

§. 12.

Habuit sc. Christus qua Θεανθρωπος hic ante oculos amorem Dei erga mundum Joh. 3, 16. 1. Joh. 4, 10. & voluntatem ipsius de omnium hominum æterna felicitate felicissime & certissime reparanda, Gal. 1, 4. Eph. 1, 5. 9. Ebr. 10, 10. & quidem per viam satisfactionis justitiæ Dei a Θεανθρωπω præstandæ §. 15. Atque ideo totum hoc officium mediatorium sponte sua in se suscepit, voluntati Patris vi fœderis, cum Patre suo initi de redimendo genere humano æquissimo animo se subjecit, neque ulla in re minima unquam fuit obluctatus, Ps. 40, 7-9. Jes. 42, 4. Joh. 4, 34. c. 5, 30. c. 12, 49. 50. Ebr. 10, 5-7. sed illam sicuti & Scripturam, ejusdem testem, in omnibus ut impleret, in mundum venit Matth. 26, 54. 56. Luc. 24, 44. Joh. 5, 30. Eadem de caussa omnes cruciatus & mortem ipsam sustinere non detrectavit Ps. 40, 8. 9. conf. Hebr. 10, 6. 7. Jes. 53, 10. Matth. 20, 28. Joh. 4, 34. c. 6, 38. c. 10, 17. 18. Sponte profectus est Hierosolymam, licet jam omnia, quæ sibi sint toleranda, præsciverit, Matth. 20, 17-19. sponte exivit in hortum, in quo se captum iri præsciebat, Joh. 14, 31. c. 18, 4. volens indicavit, se esse Jesum Nazarenum, Joh. 18, 5. 8. volens sibi vincula injici passus est; noluit defensionem Petri, Joh. 18, 11. & angelorum, Matth. 26, 53. 54. Eadem Filii & Patris voluntas, idem consensus erat per passiones & mortem Filii in assumta in plenitudine temporis Gal. 4, 4. humana natura homines e miseria, cui per lapsum Adamiticum immersi sunt, liberandi. Nam Pater & Filius unum sunt essentia, Joh. 10, 30. quare etiam Patris & Filii voluntas una est, & unum voluntatis decretum, unus essentia Deus est, qui decrevit, & Pater & Filius. Ratione autem humanæ naturæ Filius Patrem se superiorem agnoscit; erat enim in statu exinanitionis

tionis servus Patris, Jes. 42, 1. factus Patri obediens, Phil. 2, 8. factus sub legem, Gal. 4, 4. Sed hoc libertatem Christi in redemtione generis humani non tollit; Christus ex amore erga genus humanum Gal. 2, 20. Eph. 5, 2. 25. constituit se sponsorem pro illo satisfactione expiante & expletiva, & suæ sponsioni semel susceptæ renunciare noluit nec potuit, quia peccare non potuit; peccasset autem, si illam dereliquisset, & voluntas illa, qua Patri semetipsum obtulit, fuit immutabilis. Necessitas itaque quidem aderat, sed moralis; ex misericordia erga genus humanum & desiderio justitiam læsam resarciendi omnia perpessus est, pro hominibus, ut tanto lytro & pretio redemti liberarentur ex omni miseria. Inde jam porro consequitur, quod 1. Exclamatio Christi de *sui derelictione* non sit verbum tædii, quasi Christum pœnituisset suæ incarnationis propter tot & tanta mala pro hominibus sustinenda. Nec 2. esse verba supplicantia & optativa, ne Pater ipsum ulterioribus exponat afflictionibus. Nec 3. Christum hic voluisse exquirere caussam sui desiderii in *Gethsemane* non exauditi, uti Leo M. putavit. Quod ea quoque de caussa falsum est; quia a Patre in *Gethsemane* noluit exaudiri: Verba enim illa in *Gethsemane* a Christo edita proprie loquendo non sunt preces; sed illis voluit indicare graves sibi imminentes & corporis & animæ cruciatus, in calice conspectos, quem calicem divina velit natura, sed humanæ sensus detrectet. Id quod fieri potuit sine confusione affectuum in Christo: Quia voluntas Christi quoad officium suum sacerdotale semper eadem & sibi constans erat. Debuit in humana natura calicis horrorem persentire, & persentiebat jam; dixit enim: *περιλυπος εστιν η ψυχη μου, εως θανατου*, *tristitia mea anima intima penetrat, animam meam quasi gladius dissecat* secundum expositionem Cornelii a *Lapide*. Et in his mœroribus, in his cruciatibus animæ dicebat *πατερ μου, ει δυνατον εστι, παρελθετω απ' εμου, το ποτηριον τουτο. Πλην ουχ ως εγω θελω, αλλ' ως συ.* Fuerat itaque Christus jam in exercitio sui officii sacerdotalis, antequam & edidit hæc verba; perpessiones qua mala noluit, & adversatus est, illas autem qua remedia divinitus ad summam boni consecutionem destinata atque Dei ita voluntati consentanea quoque voluit, nec detrectavit. Nulla igitur in Christo aderat contrarietas; nec in eo fuit peccatum, ergo nihil inordinatum conf.

Magnif.

Magnif. Dn. Canc. PFAFFII, *Theol. Dogm. p. 232.* Nec 4. potest dici, quod Christus hæc verba de sui derelictione exclamaverit expostulationis caussa cum Patre, quæ actus est, quo quis vult rationem ab altero reddi de re quadam ut minus recte jam peracta vel peragenda. Vel 5. ex protestatione suæ innocentiæ; susceptis enim peccatis, suscepit & in se iram Dei & odium adversus peccata illis annexum, caussam impulsivam derelictionis §. 16. Quare ad omnes pœnas illi in officio suo sacerdotali spectato sustinendas se comparavit. conf. hic *Magnif. Dn. Cant.* PFAFFIUS in *sua Theol. Dogm. p. 233.* cujus verba hæc sunt: *Man muß ja nicht glauben, daß Christus hier mit seinem himmlischen Vater gleichsam expostulire, und ihne zu Rede setze, vvarum er ihne Unschuldigen so quäle, und nicht durch ein Wunder seiner Allmacht ihme vom Creuz herab helffe &c. Und da richtet dann nun Christus an seinen himmlischen Vater eine Frage, vvarum er dieses gethan, und thue, nicht um des Vatters vvillen, den er seinen GOtt nennet, und an deme er mit völligem Glauben hienge, nicht um sein selbst vvillen, dann er vvußte es vvohl, daß er nicht um eigener Sünden, sondern um unserer Missethaten vvillen so gemartert vvurde, sondern um der Menschen vvillen, daß die doch auffschauen sollten über seinem Leyden, und nachdencken, vvas doch die Ursach dieses seines Leydens seye, und vvarum ihn der Vater so verlassen, daß solches nur mit seinem Tode seine Endschafft erreichen sollte.* Immo vero his verbis & reipsa (quod & aliunde ex tota constat scriptura) homines voluit docere peccatorum gravitatem & abominabilitatem, severitatem justitiæ Dei adversus peccata ineffabilem, iræ divinæ magnitudinem, quam in se derivaverint homines malitiosa Dei derelictione, qua meriti essent, ut omnimodæ derelictioni subjicerentur; sed misericordiam Dei erga genus humanum tantam fuisse, ut & illud e miseria, cui per lapsum Adamiticum immersum sit, eripere & liberare voluerit, hinc Deum Filio suo non pepercisse, sed illum ipsum dereliquisse, ut avulsi ab illo & rejecti cum illo conjungerentur.

§. 13.

Maxime vero absit, ut exclamationem Domini de derelictione sui cum desperatione vel phænomenis desperationis comparari patiamur. Quisquis serio hoc diceret, summam Christo inferret contumeliam atque injuriam. Unde & credibile est, eos Theologos,

gos, qui accusantur de hoc crimine, vel per imprudentiam heic, salva quidem veritate, peccasse, vel omnino quoad rem ipsam aliter sensisse, uti facile esset per exempla ostendere specialia. Non quidem multis heic argumentis probantibus opus esse existimamus: Interim, quoniam hæc quæstio occurrit apud Theologos tanquam ordinaria, non propter difficultatem rei, sed ad evidentiam falsitatis testandam, illa in compendio heic allegabimus. *Primo* id docet *desperationis* definitio, quæ secundum *Pontif. Doctores* est, quando quis ex falsa æstimatione propter peccata, quæ fecit, vel bona, quæ omisit, desperat de Dei misericordia, credens Deum nolle & non posse sibi parcere, & importat non solum privationem spei, sed etiam recessum a re desiderata propter impossibilitatem existimatam. *Nostris* autem *desperatio* est impietas, qua quis potentiæ aut misericordiæ divinæ diffidit ex metu periculorum mediis ordinariis destitutus ad illegitima confugit, malæ conscientiæ cruciatibus torquetur, & interdum sibi ipsi mortem consciscit, aut cum tremitu exspirat; eaque vel totalis est abjectio omnis spei de gratia divina & salute; vel particularis diffidentia de auxilio divino in casu particulari. *Secundo* deseri a Deo non statim significat præcipitari a summa beatitudine in desperationem. Dantur enim variæ species derelictionum §. 3. 4. 5. 6. omnimodæ, rigorosæ & finalis derelictionis, non vero temporariæ, quam solam Christus sustinuit, consequens est desperatio. *Tertio* desperatio implicat peccatum, quod in transgressione legis consistit; Christus autem absolute consideratus est exlex; ideo illam transgredi nequit; qua homo vero stat quidem sub lege §. 12. Sed in hac relatione etiam non potuit illam transgredi propter unionem personalem divinæ & humanæ naturæ, neque alias mediator inter Deum & hominem esse potuisset. *Quarto* Christus certissimus erat de possibilitate consequendi desideratam liberationem, de felicissimo cruciatuum fine & eventu ex promissionibus Dei infallibilibus, Ps. 110, 7. Ps. 16, 10. Jes. 49, 6. c. 53, 8. 10 - 12. quod sua satisfactione eminente præstita & morte obita bonorum infinitorum usum nunquam amplius interrumpendum secundum humanam naturam consecuturus esset, Phil. 2, 9. & seqq. *Quinto* non potuit Christus propter finem redemtionis desperare; si enim desperasset: certe de nobis

actum fuisset; nulla adesset satisfactio vicaria. Sed Christus hanc præstitit, uti in primis patet ex testimonio ipsius; dixit enim: consummatum est, Joh. 19, 30. qua voce docebat, sua morte vere & actu redemtionis pretium totum esse absolutum, eamque colophonem esse totius satisfactionis, cujus virtute justificamur. *Sexto* ne dicas: Christus sustinuit dolores infernales; ergo desperavit: concedunt quidem Theologi dolores infernales Christum sustinuisse §. 21. sed illis non essentialiter, quidditative, absolute, necessario desperationem inesse; per accidens enim tantum illam esse in patiente ex sensu istorum potius dolorum originem habentem, quam aliquid ipsis doloribus infernalibus intrinsecum; sed plura adhuc respondentur a Theologis, uti in solutione objectionum videbimus. Et si dolores infernales desperationem absoluta necessitate involverent; nullus fidelium in hac vita illos sustinere posset, id quod S. Scripturæ contrarium est. Summis anxietatibus sæpe fideles in hac vita ipsis fere doloribus infernalibus affliguntur acerbioribus; fiduciam tamen in Deum retinent, in illis queruntur ut luctantes cum tentationibus; in luctantibus vero ejuscemodi gratia Dei efficax est; fides sc. modo crescit, modo decrescit, nec vero tentationes eam totam supprimere possunt ob Spiritus S. & verbi promissionis Ps. 27, 8. 10. Jes. 54, 10. Jer. 29, 11. 1. Cor. 10, 13. fultuiram. *Septimo* suffixum י in voce אלי fidem testatur; *non enim quisquam potest dicere: Deus meus, nisi qui plenum defert pietatis affectum* inquit AMBR. in *Ps. 43. Octavo* in Ps. 22. expresse Christus dicit: tu es spes mea ab uberibus matris meæ. Itaque non abjecit fidem in Deum. *Nono* paulo post spiritum suum Deo Patri commendavit, Luc. 23, 46. Quomodo ergo animo caderet, percelleretur, obrueretur, desperaret? Cum *decimo* sciret, Deum proprie non irasci, nisi culpæ; ipse vero nosset se ab omni culpa immunem, utpote qui pœnas culpis eorum debitas in se suscepisset tantum. Itaque verba Christi de sui derelictione non indicant desperationem; conf. *Exc. Dn. Prof.* CANZII P. V. *der Betrachtungen über die Augspurgische Conf. p. 287.* nec quoque cum desperatione pugnam, uti nonnulli ex *Nostris* locuti sunt, e. g. DANNHAUERUS Dispp. Theol. P. I p. 137. hoc affirmat; item BROCHMANNUS in Syst. Theol. P. I. p. 869. Christum, ait, cum desperatione luctatum esse, non facile negabit,

qui paulo diligentius expenderit verba Pſ. 22, 2. & Matth. 27, 46. Sed addit: Chriſtus tamen in hac cum deſperatione lucta non peccavit Hebr. 4, 15. Secundum alios vero Chriſtus non ipſam deſperationem, damnatorum autem & deſperatorum ſupplicium ſuſtinuit, illudque vicit, nec deſperationi ſuccubuit. Nos vero ab his formulis abſtinere malumus.

§. 14.

Pergimus nunc ad ipſam Chriſti admirandam derelictionem, in qua nobis ad exemplum Theologorum 1. derelinquens, 2. Subjectum patiens, 3. cauſſa impulſiva, 4. forma & modus derelictionis conſideranda ſunt. Indicamus itaque *primo derelinquentem*, voce אֵלִי in textu noſtro expreſſum, qui fuit Pater, non excluſo Filio & Spiritu Sancto. Quatenus enim derelictio Chriſti active ſpectatur, eſt actus ad extra tranſiens, quia objectum ipſius & remotum & propinquum ſcilicet corpus §. 18. & anima Chriſti §. 19. eſt res a Deo abſolute conſiderato diverſa, & potuit ea extra eſſentiam divinam perfici. Actus vero ad extra tranſeuntes ſunt indiviſi, omnibus divinitatis perſonis communes; itaque derelictio Chriſti omnibus perſonis Deitatis adſcribi poteſt, & quidem efficienter & inchoative, uti omnes perpeſſiones Jeſu Chriſti SSanctæ Trinitati Act. 2, 23. c. 4. 28. & redemtio ei adſcribitur 2. Cor. 5, 18. 19. 1. Cor. 1, 30. terminative autem Filio. Non eſt tamen omittendum, Patrem quoque hic in œconomia SSanctæ Trinitatis Judicem agere; Filium autem conſiderari œconomice ut ſtantem ſub judicio Patris. Hæcque forma docendi eſt ea, qua Scriptura maxime totum hoc negotium nobis repræſentat.

§. 15.

Secundo ſubjectum patiens derelictionem noſtris cogitationibus luſtramus; quod fuit Θεανθρωπος in cruce pendens, & in ακμη ſuæ paſſionis conſtitutus, qui ſeipſum a Deo derelictum exclamavit, uti patet ex ſuffixo נִי vocis עֲזַבְתָּנִי. Homines ſcilicet tranſgreſſione legis dereliquerunt Deum §. 2. & hanc ſui derelictionem Deum ſalva ſua juſtitia absque ſatisfactione vicaria in hoc caſu hominibus remittere non decuit. Id quod alibi in loco de ſatisfactione Chriſti a *Noſtris* contra Socinum ſtudio ſingulari demonſtratur. Eam itaque oblucationem ut ulciſceretur Deus, neceſſaria erat & in evitabilis

lis propter justitiam expletricem atque sanctitatem essentialem hominum derelictio Exod. 34, 7. sanctificatur Deus pœna, Jes. 5, 16. Ezech. 38, 16. & justitia Dei elucet e pœna peccatorum, Rom. 1, 32. cap. 2, 5. 6. 2. Thess. 1, 5. 6. ideo justum Deum oportuit punire peccata Prov. 16, 5. Jer. 5, 9. Quamvis vero idem Deus ex misericordia & amore homines ex sua miseria liberare decreverit, sapientissimæ tamen ac justissimæ rationes illi simul persuaserunt, ut non absque lytro ac demonstratione suæ justitiæ in Sponsore & Mediatore substituto, teste Scriptura, eos ad gratiam & reconciliationem admitteret, quod ipsum illud est, quod Theologi satisfactionis vicariæ nomine exprimere solent. Talem autem satisfactionem merus homo præstare non poterat, conf. *Magn. Dn. Canc.* PFAFFII, *Diss. de fratre fratrem non redimente.* Partim quia omnis homo deserti Dei pœnæ obnoxius erat, ipse ab illo rejiciendus; itaque ipse Salvatoris indigens; partim si creatura sancta supponeretur, forte creanda, ea tamen non posset esse exlex, vel capax meriti infiniti pro aliis præstandi, cum omnium virium impendium jam deberet legi & legislatori; partim propter suam finitudinem. Merus homo vel mera quæcunque creatura infinitam mali magnitudinem non potuisset tollere, quo totum genus humanum premebatur; premebat enim illud peccati gravitas, iræ Dei immensum & intolerabile pondus, mortis imperium & tyrannis diaboli. Peccata autem tollere, iram Dei placare, mortis imperium abolere, diaboli tyrannidem vincere solus Θεανθρωπος poterat, & id quidem per satisfactionem activam & passivam, dum non solum legem Dei impleret; sed & veræ derelictioni hominum meritoriæ subjiceretur. Deitas itaque ad hoc inprimis requirebatur perficiendum tantæ dignitatis negotium. Quoniam autem Divinitas in se spectata propter suam puritatem, simplicitatem & immutabilitatem neque pati, neque derelinqui, neque mori poterat: ideo assumsit Dei Filius naturam passibilem, sc. humanam, sed sine peccato, sine αμαρτησια inhæsiva, uti hoc alibi satis demonstratur. Qua assumta humana natura assumsit infirmitates; nec vero personales & morales, peccati labe infectas; sed naturales, per quas sentire potuit vividissime impetum in se ingruentium passionum vehementissimarum; & sic ut Θεανθρωπος potuit Christus Deo infini-

to

to pro nobis satisfacere, Act. 20, 28. 2. Cor. 5, 18. 19. Rom. 5, 10. 1. Joh. 1, 7. 1. Joh. 3, 8. Ebr. 4, 14. Secundum utramque enim naturam debebat esse noster Mediator, Act. 20, 28. conf. Act. 3, 15. 1. Tim. 2, 5. quia divinitas sine humanitate, & humanitas sine divinitate non est mediatrix. Θεάνθρωπος itaque debuit esse subjectum patiens Act. 3, 15. Rom. 8, 32. 1. Cor. 2, 8. in genere; & sic quoque subjectum patiens derelictionem.

§. 16.

Caussa impulsiva hujus *derelictionis* (quod *tertium* est) ex hactenus dictis jam satis apparet, scilicet decretum Dei de exercitio suæ justitiæ, & odium adversus peccata in Filio Sponsore, non ob propria illius peccata; sed quia factus est pro nobis peccatum, uti tota clamat Scriptura. Extra relationem illam, qua in officio suo sacerdotali consideratur, Christus non sensit iratum Deum, nec sub iram Dei, quæ vel certa justaque Dei voluntas adversus peccata atque decretum sumendi pœnas de peccatoribus, vel ipsa pœna a Deo inflicta aut infligenda est, cadere potuit. Pater enim essentiali amore atque naturali Filium suum unigenitum amat. Matth. 3, 17. Joh. 3, 35. c. 5, 20. Nec ipse sua natura erat peccator; sed Deus illum pro nobis fecit victimam pro peccato. conf. *Magn. Dn. Canc.* PFAFFII *Diss. de Christo facto peccato.* Itaque quatenus Christus in illa relatione positus est ut Mediator & Sponsor sub mole omnium peccatorum totius generis humani: omnino iræ divinæ eum pro nobis subjectum fuisse dici potest ac debet; judicialiter ablata mole peccatorum a genere humano & in se plene translata constituit se Sponsorem pro hominibus satisfactione expiatoria. Portabat itaque peccata mundi Joh. 1, 29. 2. Cor. 5, 21. peccatorum autem portatio & iræ divinæ sensus est indissolubilis. Quia Christus portabat peccata mundi, Pater iram suam & odium, quod inclinatio est infligendi pœnas peccatis debitas, in eum effundere volebat, & jam effundebat, Rom. 8, 32. Gal. 3, 13. Ob susceptam igitur in se peccata nostra Christus iram divinam degustavit, potestati tenebrarum vexandus fuit expositus, & dirissima quævis supplicia exhausit; uti & ipsa derelictio id testatur, conf. verba ARNDII *Homil. in Pss. David* in *Ps. 22. Von GOtt verlassen seyn, ist die höchste Angst und der Höl-*

len Qual, und ist nichts anders, als vvann GOtt alle seine Gnade und Barmherzigkeit von einem abvvendet, und hinvveg nemmet, das heisset die Schrifft GOttes Zorn und Grimm. Dann GOtt zürnet nicht so als vvie ein Mensch, daß er beunruhiget vvürde in seinem göttlichen Wesen; sondern das ist sein Zorn, vvann er seine Güte abvvendet und entziehet, seine Güte nicht lässet empfinden, den Menschen hinfahren lässet, die Sünde, Tod, Teuffel, Höll und Welt allen ihren Grimm, Zorn und Bitterkeit, Macht und Gevvalt im höchsten Grad an einem ausüben, und dagegen keinen Trost, Friede, Liecht, Ruhe lässet empfinden, invvendig oder ausvvendig an Leib und Seele, und das ist der Verdammten gröste Qual von GOtt evvig verlassen seyn. Diese unseelige Höllen-Angst hat der Sohn GOttes schmecken und empfinden müssen.

§. 17.

Jam ad *quartum* membrum, sc. ad *formam* & *modum derelictionis* Christi accedamus. Multa hic per *αρσιν* colligere solent Theologi *ακριβειας* & cautelæ gratia, quæ verissima quidem sunt; sed extra controversiam posita, & neminem habent adversarium, si forte unius vel alterius imprudentes excludamus formulas, quæ vix attendi merentur hodie. Interim nos omnino decet sequi vestigia jamjam præformata, ut tractatio sit eo plenior. *Primo* igitur derelictio Christi non in perdito perpessionum apud plurimos fructu constitit, uti Origenes putavit. Nam Christus sui derelictionem Deo adscribit, *Deus meus -- quare dereliquisti me?* Deus autem perditorum fructuum perpessionum Christi Auctor & caussa non est. Forte Origenes heic allusit ad querelam Messiæ Jes. XLIX. 4. seqq. sed quæ hujusmodi sensum revera non habet. *Secundo* in derelictione quoad Deitatem non consistebat, quasi Deus Pater λογον dereliquisset; est enim, uti inquit DORSCHEUS *in sua Theol. Zach. P. I. p. 174.* inter Patrem & Filium essentialis unitas, quæ omnem derelictionem excludit. Nec *tertio* in derelictione quoad solutionem unionis personalis, quæ nunquam vel facta vel futura est. Quod enim semel assumsit in unitatem personæ ο λογος, id nunquam abjecit aut deposuit. Nec hoc fieri potuit vel ipsius negotii redemtionis caussa. Deus enim est factus homo, assumsit ο λογος sibi personaliter uniendo humanam naturam, quo pati posset: sic divina ab humana natura recedere non poterat; valorem enim re-

demtioni divina natura debebat conferre; meri hominis ſanguis non poterat homines e miſeria liberare, ſed Dei ſanguis, Act. 20, 28. Col. 1, 14. §. 15. Nunc ſi in media perpeſſionum συνδρομῃ & in ipſa quaſi acie humanitas a divinitate eſſet derelicta, ſatisfactio Chriſti non fuiſſet ſufficiens; dum enim hæc verba: Deus meus quare dereliquiſti me? Chriſtus exclamabat, paſſio ipſius, in cujus tum ſumma erat ακμῃ conſtitutus, nondum erat conſummata, Joh. 19, 30. conf. *Exc. Dn. Prof.* Canzii P. V. *der Betrachtungen über die Aug. Conf. p. 288.* Sic *quarto* derelictio Chriſti non erat derelictio quoad poſſeſſionem communicatæ divinæ majeſtatis, ejusque inceſſantem apud creaturas uſurpationem, quousque finibus ſtatus humiliationis non erat contraria. Nota enim ſunt in univerſa Chriſti exinanitione admiranda illa & inſcrutabilia intervalla, quibus ſeſe nunc magis, nunc minus, in oculos hominum prodiderunt divinæ in Jeſu majeſtatis radii & virtutis cœleſtis robora. Nec defuerunt radii divinitatis Chriſti in ſummæ exinanitionis actibus ultimis: Inter quos præcipua erat ſolis obſcuratio miraculoſa Matth. 27, 45. ipſo meridiei momento in ipſo plenilunio facta, quæ ſolis eclipſis tres integras horas duravit, nec tantum in parte mundi tenebræ fuerunt; ſicuti in Ægypto fiebat Exod. 10. ſed σκοτος εγενετο εφ' ολην την γην Marc. 15, 33. Luc. 23, 44. in univerſo orbe, non in ſolo Judæorum territorio. Deliquium enim ſolis factum eſt non per oppoſitionem nubium aut interjectionem Lunæ inter ſolem & terram; neque per occaſum ſolis ad tres horas, ſed per miraculoſam radiorum ſolarium retractionem. conf. Wideburgii Diſſ. de obſervatione ſolis in paſſione Dominica & Gerh. *Harm. Evang. T. II. P. IV. & V. Cap. CCII. p. 249-252.* Et diſrumpebatur velamen Matth. 27, 51. Marci 15, 38. Luc. 23, 45. quod Judæis & aliis doctis viris referentibus adeo denſum erat, ut quatuor digitorum craſſitiem adæquaret; altum autem triginta cubitos. Denique ſignum divinæ majeſtatis Jeſu erat terræ concuſſio & fiſſio petrarum ex terræ motu orta & apertura monumentorum, in quibus corpora ſanctorum, i. e. nuper demortuorum Servatoris diſcipulorum, facile adhuc in eorum apparitione agnoſcendorum, prope Hieroſolymam ſepultorum, recubabant, quorum reſuſcitatio ſtatim poſt mortem Chriſti, & ita ante reſurrectionem

ipsius facta est, cf. *Magn. Dn. Canc.* PFAFFII, *Diss. de sanctis tempore mortis Christi resuscitatis* contra *Woolstonum*. Quæ omnia testantur de divina majestate Jesu cum in cruce, tum in morte, omnipotenter hæc operantis, & Patre Filium hunc suum unigenitum declarante atque adversus omnes calumnias & abnegationem invicte vindicante. *Quinto* derelictio Christi omnimoda & totalis derelictio non fuit; quippe quæ in solos damnatos §. 3. & ne quidem in alios filios Dei, & ita multo minus in Christum cadere potuit, & id quidem propter ipsius essentialem sanctitatem, & unionem personalem divinæ atque humanæ naturæ inseparabilem. Adde, si Christus in æternum a facie Dei rejectus fuisset, non fuisset Mediator nec liberator a sempiterna reprobatione; quia illam non superasset. Et מעט, βραχύτι duraturus totus exinanitionis Christi status, ac proinde summus ipsius κενώσεως gradus, Ps. 8, 6. Ebr. 2. 7. describitur. Porro Christus ipse totam suam passionem horam vocavit Marci 14, 35. tempus a Deo ab æterno præfinitum ac determinatum passionibus & morti ejus, Joh. 7, 30. c. 13, 1. Itaque derelictio Christi non potuit esse sempiterna reprobatio. Nec denique *sexto* ea constitit in nimis cito facta per mortem liberatione a tormentis, uti BEDA putavit, dicens in homiliis Christum non conqueri propter tormentorum vim, sed abrumpendam vitam longiorem, quo minus plura pati posset; adeoque verba, cur *dereliquisti me?* sic resolvit; jam vis me mori, & ideo plura sustinere non possum, cur id voluisti? Sustinuit enim nobis sustinenda Jes. 50, 5. 6. conf. Luc. 24, 26. Jes. 53, 4. seqq. conf. Matth. 8, 17. 1. Petr. 2, 22. 23. 24. etiam dolores infernales §. 21. quare ad plura sustinenda longiore vita illi non opus erat.

§. 18.

Sed derelictio Christi in derelictione *externa* constitit, §. 3. Sc. Deus unitrinus §. 14. Christum quoad corpus omnibus afflictionibus exposuit, & ipsi suum auxilium externum, & liberationem e manibus Judæorum a cruciatibus externis & morte temporali subtraxit. §. 6. Hanc derelictionem Christus pati debuit propter nostram derelictionem, cui ex malitiosa derelictione subjecti eramus, externam æque ac internam; non enim aliter nos ex illa liberare potuit, quam illam sustinendo pro nobis. Sic quoque in omnibus tentandus erat, quo nos in omnibus juvare posset, Ebr. 2, 18. c. 4, 15. Sensit in

sui derelictione Christus iram Dei, ira Dei autem involvit etiam derelictionem externam §. 16. Adde derelictionem Christi externam probare Paulum in Epist. ad Hebr. c. 2, 7. ubi de Christo dicit, quod ab angelis brevi tempore fuerit derelictus, i. e. ope illorum destitutus, non liberatione per angelos, vel alio quovis modo e malis externis, corpus prementibus ereptus. Firmat etiam illam contextus v. 2. Ps. 22. in Verss. 3, 5, 6, 7. dum optimus noster Salvator hoc voluit dicere: O Deus! quoties aliis fidelibus, si speraverunt in te, & tuum auxilium in afflictionibus implorarunt, in illis tuo auxilio & liberatione non defuisti. Sed illi impetrarunt abs te, quæcunque desiderabant; illis contingebat liberatio ex omnibus afflictionibus. Ego vero, Filius tuus, licet te nunquam dereliquerim; sed tantum aliorum derelictionem malitiosam in me susceperim, omnibus afflictionibus sum expositus, & tuam ex illis liberationem etiam atque etiam imploravi, nec me exaudivisse, illam mihi potius denegasse videris; Ego sum vermis, non homo. Conf. inprimis *Magn. Dn. Canc.* PFAFFIUS, *in sua Theol. Dogm. p. 306.* ubi ita ait: *Christus wurde von GOtt verlassen, daß er nicht nur keine Hülffe von ihme erhielte, welche ihn des Leydens enthübe, sondern in dem selbigen nur stärckte, ohne doch, daß er die süsse Einflüsse der göttlichen Tröstungen in seiner Seele völlig empfunde.* Conf. & hic GERH. *Harm. Evang. T. II. P. IV. V. c. CCII. p. 254.* & JOH. WINCKLERI *Tr. Das Vollkommene Alles unserer Seelen, Jesus Christus der Gecreutzigte, p. 159. seqq.*

§. 19.

Nec vero in sola derelictione *externa* Christi *derelictio* constitit uti *Pontificii* volunt. Sic e. g. BELLARMINUS Lib. IV. de anima Christi cap. 8. *nullam*, ait, *in his verbis mentionem fieri iræ Dei erga Filium, sed solius derelictionis; dereliquit enim Deitas humanitatem in pœnis, & cum posset eam inde eripere, noluit, ut sacrificium perficeretur, quo mundus erat redimendus &c. It. in suo comment. Ps. 22. p. 84. Quod autem Christus queritur se derelictum a Deo, non significat eundem derelictum fuisse a persona verbi, quasi esset dissoluta unio hypostatica; vel destitutum a gratia & benevolentia Patris; sed significat, permissum fuisse, ut ipse in humana natura pateretur horribilia tormenta & mortem ignominiosam, a qua, si Deus voluisset, facillime eum liberare potuisset.* Epizeuxis enim hæc, *Deus meus, Deus meus*, maximum angorem indicat, conf.

RAM-

RAMBACHII *Betrachtungen über die sieben lezten Wort des gecreutzigten Jesu. p. 36.* Christus bis Deum nominat more illorum, qui angustiis maximis pressi eandem vocem sæpius ingeminant. Si igitur tantus angor ex unius cruciatus externi & mortis temporalis sensu eum occupasset, fuisset sane infirmior multis aliis sanctis hominibus, qui cruciatus externos, & mortem temporalem, fortiter subeunt. Sic Petrus inverso capite ad dolorum incrementum cruci affixus fuit; nec tamen magno angore afficiebatur; sed ita de optimo nostro Salvatore sentire nefas est. Voluit Christus martyres fortitudine superare, qui dum cruciatibus externis expositi erant, mirabilem sæpe opem divinam, & angelicam experti, nec solatio interno privati erant. Christus vero omni adjutorio, omnique consolatione destitui voluit. Et verba posteriora v. 2. Ps. 22. nobis subscribunt, quæ dicunt, Christus ob dolores rugivisse. Rugitus enim hic dolores majores, quam solos externos indicat. Denique se non soli voluntati aliorum Christus a Deo traditum exclamavit; sed a Deo ipso derelictum. Itaque *secundario* tantum Christi derelictio in *externa*, *primario* vero in *interna*, maximaque, in qua silebat Christus, constitit. Continebat autem interna Christi derelictio dolores animæ ineffabiles; scilicet suspensionem ipsius solatii divini, & sensum e contrario iræ divinæ maximum.

§. 20.

Destituebatur itaque in sui *derelictione* Christus quoad humanam naturam sensu gratiæ alias ex divina natura in eandem indesinenter manare solitæ, atque persentiebat iram Dei gravissimam; quæ omnia involvunt mortem spiritualem, quam Christus quoque in *sui derelictione* sustinuit. Recte sc. Theologi dicunt, mortem spiritualem aliam esse fidelium, aliam infidelium. Et mors quidem spiritualis respectu fidelium denuo est 1. mors ea, qua per pœnitentiam quotidianam peccato, corruptæ carnis desideriis, mundi illecebris moriuntur, Col. 3, 3. Rom. 6, 2. 11. c. 7, 4. 1. Petr. 2, 24. ita ut his valedicant, & ab his lacessiti sint veluti mortui. Hæc mors Christo non potest tribui; non potuit enim internis illecebris ad peccatum provocari, itaque nec illis mori. Si vero mors fidelium spiritualis accipiatur pro privatione sensus gratiæ Dei & contra dolorifico iræ divinæ sensu; eo sensu illa Christo in *derelictione*

sui eminentissima ratione debet attribui. Dolores enim animæ sustinuit, intensissimos atque acerbissimos, nulli creatæ menti comprehensibiles, in illa passus est dolores, privatus ad tempus interno gratiæ divinæ sensu & iræ divinæ gravissima mole pressus. Conf. RAMBACHII *Dogmatische Theologie p. 956. Unser Mittler hat erlitten den geistlichen Tod; dieser aber bestund keines vveges darinnen, daß er des Ebenbildes GOttes und des geistlichen Lebens ermangelte; (vvelches man sonsten den geistlichen Tod nennet) sondern darinn, daß er derjenigen Freude und Trostes ermangelte, die seine Seele vvegen der genauen Vereinigung hätte geniessen können, und daß er hingegen die hefftigste Traurigkeit und Seelen-Angst empfunden, ja aller Einfluß des göttlichen Lichts und Trostes in seiner menschlichen Natur gehemmet vvurde.* conf. NEUBAUERI *Theologische Abhandlung vom geistlichen Tode unsers Heylandes Jesu Christi*, & PORSTII *Theol. viatorum practica, P. III. p. 381. §. 1399.* Neque adeo inusitatam esse hanc mortis spiritualis acceptionem *Reformatorum* quoque Theologorum exemplo ostendi potest. Sic e. g. ex hac classe MELCH. LEYDECKERUS scripsit: *Observanda hic est mors spiritualis, cujus inchoatio in genere damni fuit amissio istius gaudii spiritualis in humana natura, quod alias ex fruitione Dei illa perceperat. In genere sensus, iræ divinæ degustatio & subjectio quædam temporaria ad potestatem tenebrarum . . . Mortis hujus spiritualis consummatio in genere damni fuit derelictio illa Patris, & omnis consolationis ac lætitiæ spiritualis ad tempus destitutio. In genere sensus maledictionis & judicii divini perpessio i. e. iræ adversus electorum peccata. Unde hæc acerba Christi querela in cruce: Deus mi, Deus mi! ut quid me deseruisti? quæ non desperantis, sed luctantis cum Deo verba fuerunt. Synops. Theol. Christ. L. IV. C. III. §. 17. 21. p. 256. 258.* Enim vero non de vocabulis, sed de reipsa hic agitur. Mors spiritualis infidelium consistit in sensus gratiæ Dei defectu ex absentia vitæ spiritualis & magna simul ad quævis mala propensione; & iterum est vel malum ex peccato, i. e. malum morale & turpe e peccato primo vel & aliis proæreticis ortum; vel malum triste, pœna peccati moralis. Neutro hoc sensu posteriore, ut liquet, mors spiritualis in Christum cadit.

§. 21.

Quæritur autem, an & mors *æterna* (licet graves sint Theologi, qui malint dicere ad avertendas litigationes, Christum non quidem passum

passum esse mortem æternam; sed tamen passum esse mortem, respectu infinitæ dignitatis personæ suæ morti æternæ æquivalentem vid. CHRISTOPH. FRANCKII *Exerc. Anti-Limb. V. p.270.*) Christo attribui possit secundum Scripturam? Certum est, justa explicatione hic opus esse, ne ulli offendiculum haud necessarium objiciatur. Mors *æterna* duplici modo potest considerari, vel ratione *extensionis*, vel ratione *intensionis*. Mors æterna ratione *extensionis* est nunquam terminanda hominis a Deo rejecti ab ejus beata communione per iram separatio cum cruciatibus infernalibus conjuncta. Hoc sensu Christus non potuit sustinere mortem æternam propter suam innocentiam, sanctitatem, unionem cum divina natura personalem, majestatis admirandæ factam communicationem & perpetuam possessionem, valorem etiam infinitum passionis ipsius ad redimendum totum genus humanum. Si hoc sensu morti æternæ subjectus fuisset Christus, tum nunquam esset satisfactio perfecta, nec nobis ulla fuisset consolatio, §. 17. Sic & nihil actum fuisset, si corporalem temporalemque tantum mortem Christus sustinuisset; nos enim reatu mortis sempiternæ reliquisset constrictos; interim summa necessitas exigebat simul, ut divinæ ultionis severitatem sentiret, & ita sustineret mortem æternam ratione intensionis. Mors autem *æterna* ratione *intensionis* est privatio sensus gratiæ divinæ atque e contrario perceptio malorum damnatis destinatorum exquisitissima. Hanc mortem dicunt Theologi Christum sustinuisse, quousque illius capax fuerit. Fuit enim *κατάρα*, Gal. 3, 13. conf. Phil. 2, 8. 9. (Hæc quidem vox *κατάρα* a SOCINIANIS & ARMINIANIS exponitur de ipsa tantum cruce sc. crucis supplicio; sed male. Fuit crucis supplicium signum exsecrationis; non vero formalis ratio ejusdem, quia peccatis gehennam, i.e. mortem æternam promeriti sumus; tum exsecratio etiam in perpessione cruciatuum infernalium consistit.) Si Christus mortem æternam ratione intensionis non passus esset: tum longe minores, quam alii sancti, dolores sustinuisset, quippe qui etiam in hac vita dolores infernales quoque sustinent, nec nos a pœnis infernalibus liberasset Hebr. 2, 14. 15. conf. JOH. GERH. *Confess. Cathol. p. 484. seq.* Ne vero male quis id ipsum interpretetur, sciendum, non omnes dolores infernales secundum omnes partes & circumstantias Christus toleravisse, quorum quædam in subjecta

tantum

tantum finita, peccatis obnoxia cadunt propter ipsorum defectum & imperfectionem. Sed illis tantum afflictus fuit, qui proficiscuntur a caussis extrinsecis, non intrinsecis, a propriæ conscientiæ morsu; sed qui ut pœnæ peccatorum a Deo ut justo vindice oriuntur. Non cum desperatione vel oppressione sui, sed cum perfecta victoria, Ebr. 2, 9. 10. 14. 15. 17. illos sustinuit atque destruxit. Atque hæc perpessio mortis æternæ ratione intensionis sufficiens erat ad nostram liberationem e derelictione divina. *Mors* inquit BALDUINUS in *Com.* in 2. Cor. c. 5. p. 270. *quam Christus sustinuit ratione durationis quidem temporalis fuit; ratione valoris autem æterna, quia fuit passio intensissima, quam nullus hominum sufferre potuisset; fuit mors spontanea, hominis innocentissimi, & in unitatem τȢ λόγȢ personaliter assumti, quæ sublimitas personæ morientis ipsi morti valorem supereminentem confert. Ad hoc enim non nudi hominis, sed Dei mors, & gloriosi Domini crucifixio requirebatur, quia impossibile erat, nudum hominem pœnam licet actu temporalem, valore tamen æternam sustinere.*„ Privata quoque est & neutiquam in Nostris ecclesiis approbata FLACII sententia P. I. Clav. Script. sub tit. inferni p. 453. animæ Christi post mortem in inferno usque ad resurrectionem gravissimos sustinendos fuisse cruciatus in orco, ubi nos cruciandi scilicet fuissemus: Quia merito perpessionis & mortis Christi sufficientissimo derogat hæc opinio, quod Christus post mortem cruciatus sustinuerit, Jes. 53, 5. Rom. 5, 9. 10. Col. 1, 20. 1. Petr. 1, 19. c. 2, 24. 1. Joh. 1, 7. Hebr. 10, 10. 14. c. 9, 26. Et Christus tantum περίλυπος fuit ἕως θανάτȢ Matth. 26, 38. atque exclamavit jam in cruce triumphum agens τετελέσθαι Joh. 19, 30. Anima ipsius in manus patris tradita Luc. 23, 46. statim post mortem fuit in Paradiso Luc. 23, 42. 43. & ita in morte crucis desiit status exinanitionis Christi, Phil. 2, 8. 9. quibus rationibus & hæc addenda est, quia Christus in prædictione suarum passionum nunquam mentionem fecit passionis apud inferos, quam utique non intermisisset, si ipsi apud inferos patiendum fuisset; neque dictum Act. 2, 24. nobis contrarium est, ubi ὠδῖνες θανάτȢ memorantur, uti SANCTIUS ostendit in cap. 2. Act. dicens: *Sermo hic est non de his doloribus, qui quoquo modo apud inferos sustinentur, sed de aliis, qui propter acerbitatem hyperbolice inferni vel clarius infernales dicuntur.* Dolor autem, quem passus est Christus, tantum habuit acerbitatis, ut uspiam

alius,

alius, hincque inferni dolor appellari potuit. Sed non in ſede damnatorum Chriſtus dolores infernales ſuſtinuit; fuit quidem in loco pœnæ, ſed ſine pœna; in receptaculo damnatorum triumphantis ſane, nec patientis more erat, Col. 2, 15. Eph. 4, 9. 10. 1. Petr. 3, 19. 20. ſed in horto oliveti & in cruce illos perpeſſus eſt. In horto oliveti, uti patet ex ipſius triſtitia §. 12. in cruce, ibi enim ſe a Deo ipſo derelictum eſſe exclamavit, in qua derelictione orbatus fuit fruitionis gratioſæ Dei præſentiæ, & perſenſit e contrario iram ipſius graviſſimam, in quo conſiſtit quoque mors æterna ratione intenſionis.

§. 22.

Hanc orthodoxam veritatem de Chriſto mortem quaſi æternam & cruciatus inferorum maximos & ineffabiles noſtro loco tolerante non poſſunt concoquere adverſarii diverſarum partium; ſed fortiter negant & impugnant. Quo in numero ſunt primo *Pontificii*, quorum opinione anima Chriſti qua partem ſuperiorem, intellectum ac voluntatem, minime ſenſit iram divinam, nec percepit dolores, damnandis æternum debitos, idque propter unionem cum λογῳ, & ſtatum beatificum, in quo ea ſemper fuerit; animam Chriſti tantum qua partem inferiorem ſenſitivam ſcilicet triſtitiam ſenſiſſe, opinantur. Ita docent THOMAS AQUINAS, FRANC. FEUARDENTIUS, & alii. Audiamus nominatim horum cauſſam contra nos agentem ROBERT. BELLARMINUM, Cardinalem, cui hæc deſertio Chriſti, uti aliis quibusdam, nil eſt, niſi non-liberatio e manibus Judæorum denegato adverſus eos auxilio, quo minus Chriſtus ad mortem raperetur, uti vidimus §. 19.

§. 23.

BELLARMINUS igitur in Libro IV. de Chriſti anima c. VIII. ubi refutat JOH. CALVINUM, PHIL. MELANCHTHONEM & JOH. BRENTIUM noſtrum, inter alia regerit: *Scripturæ totam ſalutem noſtram tribuunt ſanguini & morti corporali Chriſti, & poſt mortem corporalem nullam ulterius pœnam agnoſcunt;* id quod probat, ex Phil. 2, 8. Pſ. 21, 7. Jeſ. 53, 2. dicit *hic nullam mentionem fieri inferorum, ſed obedientiæ usque ad mortem omnia tribui; & mox ſubjungi exaltationem, Pſ. 21. Jeſ. 53. deſcribi ſigillatim omnes Chriſti afflictiones; nullam autem fieri mentionem inferni.* Addit *Matth. 20, 19. Marc. 10, 33. Luc. 18, 32. 33. prædicit Dominus Apoſtolis paſſionem ſuam, & nominat flagella, ſputa, crucem, mortem & ſubjungit continuo: & tertio die reſurget. Ubi, quæſo,* exclamat, *reliquit*

dolores damnatorum & cruciatus gehennæ? ℟. I. Sententiæ JOH. CALVINI peculiari non patrocinamur, in quam & BRENTIUS abiit, de descensu Christi ad inferos ante mortem. Lib. 2. Instit. cap. 16. §. 12. facimus & hic cum nostris libris symbolicis, *Aug. Conf. Art. III.* Unde nec II. probamus id additamentum, post mortem Christi superfuisse ei pœnam exantlandam, quam nullam scripturæ agnoscunt. §. 21. III. Christus pro nobis maledictio factus est, Gal. 3, 13. maledictio autem, qualis nostra fuit, non in morte tantum temporali constitit, sed & spirituali & æterna. IV. mors spiritualis & æterna corporalem in Christo antecessit, in horto & in cruce illam geminam sustinuit. §§. 20. 21. ita scripturæ qua sensum & rem omnino mortem spiritualem & æternam a Christo gustatam & exhaustam una includunt. V. Opus redemtionis mox toti personæ Jesu S. Scriptura adscribit, Rom. 4, 25. c. 5, 11. 1. Cor. 1, 30. Eph. 1, 5. mox autem soli sanguini, uti Bellarminus hoc in sua objectione regessit; sed ibi pars synecdochice ponitur pro toto.

§. 24.

Secundo objicit BELLARMINUS: *Si redemti essemus per infernales pœnas Christi, deberent figuræ præcessisse; deberet etiam sacramentum aliquod exstare in memoriam tanti beneficii, ut Eucharistia in memoriam passionis. Item deberet celebrare memoriam hujus beneficii ecclesia, uti & celebrat memoriam natalis Domini, passionis, mortis, resurrectionis. Item deberet depingi Christus in igne gehennæ in medio damnatorum, ut depingi solet in cruce. At nihil tale vidimus fieri, aut legimus unquam factum. Ergo ecclesia vel semper fuit ingratissima, vel Christus non sustinuit mortem æternam.* ℟. I. Jonas Christi typus fuit; ille enim per triduum in ventre ceti conclusus, & sibi a facie Domini rejectus visus, quasi ex inferno in summis angustiis ad Deum clamavit. At II. non opus erat, ut typus præcederet: multa enim etiam in Christo peracta sunt, licet non præcesserint figuræ. Exemplo sit nativitas ex virgine. III. A gratitudine ecclesiæ ad veritatem rei non potest concludi. Multa nobis ingratis beneficia præbet Deus; multi, immo plurimi homines ingratos se præbent Deo pro opere redemtionis perseverantes in malo; sed & grata est vera ecclesia pro hoc suæ redemtionis ex infernis immortali munere, licet seorsim non celebret festum in illius memoriam: dum verborum de cruciatibus Christi explicationem publice tradit sæpius repetitam. IV. Christus non in gehenna fuit, etsi dolores ejus sustinuit; itaque non depingi potest in igne gehennæ

in medio damnatorum; sustinuit in cruce dolores infernales, & pingitur ibi; nec pictura opus est externa fidelibus, nec omnium Christi beneficiorum dantur imagines, ne in cœtu quidem Romanorum. V. Sacramentum ευχαριστιας etiam pertinet ad memoriam mortis Christi æternæ; est enim institutum in memoriam totius passionis Jesu.

§. 25.

Tertia oppositio BELLARMINI hæc est: *Pœna damnatorum includit essentialiter desperationem salutis, sicuti felicitas includit certitudinem salutis nunquam amittendæ. Spes autem cum desperatione consistere non potest. Ergo Christus vel simpliciter desperavit, vel certe non pertulit pœnas damnatorum, & proinde καθ' ανθρωπον loquendo non vere nos liberavit.* ℞. Damnati quidem, eo, quod super illos ira Dei manet Joh. 3, 36. finaliter desperant; quoniam vero Christus iram Dei ad tempus duntaxat expertus est, non desperavit, sed tentationes & pavores omnes magna fiducia superavit. Valeat ergo id argumentum contra sententiam, quæ Christum desperasse putat. II. Negamus desperationem essentialiter includi in pœnis infernalibus; essentia enim in doloribus infernalibus consistit, estque absentia sensus gratiæ Dei, & præsentia sensus iræ divinæ: quare non est intrinseca pœnæ, sed accidens pœnam sustinentis, peccatum potius, quam pœna. Nec III. fideles in angustiis & dolorum inferni sensu statim desperant. *Quarto* opponit: *Christi anima semper fuit beata; quoniam cum Deo arctissime conjuncta fuit.* E. *non sensit dolores infernales.* ℞. isti mœrores & angores animæ, utcunque explicentur a BELLARMINO, repugnant visioni animæ beatificæ; anima Christi semper fuit beata qua actum primum; nec vero qua actum secundum, propter satisfactoriæ pro nostris peccatis perpessionis necessitatem & conditionem.

§. 26.

Misso ecclesiæ *Romanæ* Promacho pergimus ad *Socinianos*, qui, uti necessitatem & veritatem satisfactionis vicariæ & sacrificii ιλαστικȣ in universum negant: ita & hic reclamant, & Christum æternam subiisse mortem, aut damnatorum pœnas esse pro nobis passum, ut vanum explodunt. Objicit I. FAUSTUS SOCINUS: *Christus non desperavit.* E. *pœnas damnatorum non sustinuit.* Ad hanc objectionem jam supra responsum est. Conf. eas regulas, quas ab initio posuimus, hic quam maxime observandas. Obj. II. SOCINUS. *Si Christus mortem æternam subiisset: universa salutis nostræ & liberationis a peccatorum*

pœna spes & ratio funditus eversa fuisset. ℞. I. invertendo arg. Spes humani generis everteretur, si neque Christus, neque alius ullus, nostro loco æternam mortem gustasset, tulisset, vicisset. II. Neg. conseq. si mors, nostro sensu, æterna intelligatur, non duratione, & extensione, sed intensione, i. e. illa, quam damnandis debitam, omni dolorum acerbissimorum sensu cumulatam, Christus pertulit. Obj. III. Socinus. *Injustissimum est, innocentissimum pro improbissimis punire.* ℞. Ex corruptæ rationis, ut alia, dictamine ita homo sophisticatur, contra mysterium. Itaque contradicit litteræ Petrinæ 1. Petr. 3, 18. Christo Domino vitæ suæ αυτεξουσιω licuit fœdus pro salute humani generis liberrime contrahere, & interposita cruciatuum mortisque conditione idem pacisci Joh. 10, 18. Potius, si cum Spiritu Sancto loquimur, Deus sic demonstravit justitiam suam Rom. 3, 25.

§. 27.

Denique resistamus argumentis Limborchii nobis contrariis, qui ut recentior sectæ *Arminianæ* antesignanus in Theol. Christ. Lib. III. cap. 13. §. 7. p. 223. fatetur quidem contra Pontificios, Christum in animo pertulisse gravissimos angores, idque nobiscum probat etiam ex verbis Matth. 27, 46. Sed pernegat idem, Dominum Jesum damnatorum passiones sustinuisse; multoque crudius id ante mortem factum dici, sententiamque eam, quæ nostra & veritatis, manifeste falsam esse, rationi rectæ ac sacræ scripturæ repugnantem; in Christum & Deum Patrem injuriam pertendit. Agedum, lustremus rationes hujus Viri. *Pœna inferni damnatorum,* ita pergit, *sunt quatuor I. mors æterna. II. cruciatus infiniti. III. sensus iræ divinæ. IV. desperatio.* Singulis remotis & ereptis nihil putat pro ajente sententia relinqui. Objectio *prima* illius: *Dominum Jesum æternam mortem non tulisse, manifestum est: tertio enim die resurrexit.* Resp. est & Socini ea collectio, infirma sane immo mera æquivocatione & mutatione status controversiæ subnixa. Hæc si abfuisset semper in hujus caussæ examine, nunquam tot fluctus fuissent moti in simpulo. Tulit Christus æternam mortem non diuturnitate infinita & interminabili, qua mansisset in morte; sed intensione & magnitudine angorum, pretium infinitum a patientis persona habitura. Exc. *intensio* i. e. *gravitas illa supplicii, æternitati æquipollens, inepte creditur; æternitas enim non intensionem, sed extensionem notat.* At petit principium; annon enim dignitas patientis commendatur in scriptura, auctor, dux vitæ occisus? Sanguis Dei? Filii Dei? Deus Filio suo non pepercit? Hæc facit æquipollentiam illam infinitæ intensionis, ob præstantiam mediatoris, infiniti Dei, solventis, brevi tempore, cui finiti homines in æternum solvendo non sunt. Unde ratio addita diluitur; quia æternitas durationis dicit extensionem quidem; at æternitas ea extensionis valore infinito perpessionum ex dignitate personæ metiendarum compensatur. Aliter aut Christus non dispunxisset, quod erat in rationibus humani generis, aut in æternum cruciatus ferre in orco debuisset, quod est absurdum & finem redemtionis, & promissiones divinas evertit.

§. 28.

Objectio illius *secunda: Christus cruciatus infinitos sustinuit, qui respectu æternæ durationis proprie dicuntur infiniti.* Resp. recurrit eadem ad idem argumentum varie propositum responsio: non sustinuit infinitos cruciatus extensive; sustinuit tamen tales intensive, juncta intensione dolorum & dignitate subjecti, dolores tolerantis. Secunda confirmatio secundæ objectionis: *Damnatorum cruciatus semper adscribuntur igni æterno, in quo Christus nunquam fuit.* At Resp. dist. το πȣ supplicii æterni & essentiam; posteriore sensu dolores infernales Christus sustinuit, qui alibi, non semper tamen describuntur per cruciatus ignis, vehementissimos scil. essentialiter tamen, sunt rejectio a facie Dei offensi & ejus suavi communione, & positiva dolorum immensorum inflictio, cujus alterutrum hic abesse ostendat, LIMBORCHIUS. Exc. *gravissimi fuere, non infiniti dolores humana Christi natura, quæ incapax est infiniti.* Resp. breviter; infiniti fuere magnitudine & intensionis vi, accedente æstimatione personæ infinitæ, in natura quidem finita patientis, sed quæ una cum Filio Dei, infinito utique, persona erat.

§. 29.

Multo minus, sic pergit III. Limborchius; Christus patiens iram Dei sensit, quia tum maxime fuit obediens patri, & huic summe amatus. Joh. 10, 17. Eph. 5, 2. ideo exaltatus est, a patre ad cœlestem dignitatem, Phil. 2, 9. Resp. α. quid igitur? Cruciatus animæ vehementissimi, quos concedit LIMBORCHIUS, & calix ille, de quo Christus in horto oliveti verba fecit §. 12. utique fuere ab irato Deo, vindice severissimo culparum, non sane propriarum, ergo alienarum? β. gratus fuit patri propter obedientiam; sed maledictus & maledictio propter peccata nostra, certe Dei maledictio Deut. 21, 23. coll. Gal. 3, 10. 13. 2. Cor. 5, 21. ut caput fœderale generis humani & victima succedanea. Et latet hic abnegatio imputationis peccatorum nostrorum Christo facta dictis scripturæ contraria. γ. Exaltatio est consequens indissolubile exinanitionis, huicque nunquam debet opponi. I. Exc. LIMBORCHIUS ad nostras distinctiones; *Christus non sensit iram Dei adversus se absolute, & qua sponsor G. H. fieri, non posse, ut Deus ex ira puniat, quem intensissime & absolute amet.* At Resp. hoc mysterio vicariæ surrogationis & satisfactionis justitiæ divinæ a Christo præstandæ, supposito diverso respectu id fieri potest, ut filius sit obediens, amatus, per se, & puniatur ex ira, ut imputatione peccatis obnoxius, culpa aliena in se translata. Pandit hoc mysterium Jesaias c. 53, 4 - 6. 8. 10 - 12. Alia loca, quorum modo quædam sunt allata, non cumulamus, qui hic non tam probamus, quam refellimus. II Exc. ad Gal. 3, 13. *Christus est exsecratio pro nobis*, regerit; *non Pater eum exsecratus est; sed ob mortem maledictam crucis exsecratio dicitur.* Resp. Exsecratio fuit alieno nomine, ut persona moralis, non suo. Et cur mors crucis est maledicta, & Christus maledictio? nisi ob susceptam in se, a nobis vero ablatam maledictionem. Emphaticum est id Paulinum: Gal. 3, 13. χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τȣ νόμȣ, γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα, quod nisi imputatio subsit, dici nequit. III. Exc. ad Matth. 27, 46. *Christi querelam de derelictione sui non fuisse ex ira, qualis sit impiorum; sed sapiente Dei directione facta non affectu; sed effectu, tantum interna denegatione internæ consolationis.* Resp. Denegatio hæc cum sensu intensissimorum dolorum Filio Dei tristes querelas exprimens, ut ante sudorem

dorem sanguinis, distincta est a fidelium derelictione; facta ex ira adversus culpam non domesticam, sed imputatam & appropriatam ab expromissore & vade generis humani.

§. 30.

Quarta objectio LIMBORCHII contra Thesin nostram est: *Christus desperationem non sensit, quæ inseparabile pœna damnatorum adjunctum est: Lutherani aut hoc posterius negent, oportet, aut fateantur, Jesum ex sensu iræ divinæ desperasse; aut ipsum non omnes damnatorum pœnas sustinuisse; illud nullo jure negaverint: istud quod tamen evadere non queunt, ut horrendum absurdum, & ipsi rejiciunt*: Resp. hoc unum: jam sæpe responsum est. Excipit idem: *aut Christus nos a desperatione, pœna illa inferni non liberavit; quod Lutherani negant: aut desperationem nostri loco sustinuit*; quod abhorrent. Resp. Negando utrumque & tertium substituendo: sic liberavit nos ab omni obligatione pœnæ apud inferos sustinendæ, sentiendo cruciatus ipsos essentiales, non sentiendo adjunctum cruciatuum accidentale, quod per se vitiosum & redemtionis eversivum est. Repetimus: desperatio formaliter non est pœna judicis, & per naturam suam absolute cadere in Christum non potuit. Quid enim est Deus desperans? Liberationis & gratiæ spem penitus abjiciens? Excipit denique Limborchius: *mors Domini est sacrificium pro peccatis nostris; at in sacrificio non requiritur æquipollentia.* Resp. A sacrificiis typicis concludi posse ad sacrificium Jesu monadicum, hilasticum, expiatorium & sua virtute satisfactorium pro peccatis universi mundi, negamus.

TANTUM.

Ven. & Cl. Dn. Respondenti optima quæque precatur

PRÆSES.

JUre tuo usus es, dum hanc *Dissertationem Academicam* proprio Marte, atque ad tentamen propriarum virium conscripsisti. Materiam satis arduam & gravem Tibi suppeditavit sacra, quæ nunc inter Christianos solennis est, Passionis Dominicæ memoria. Ex arduis & gravibus elegisti id ipsum, quod præ ceteris impeditum ac difficile videri poterat: Ne tamen hoc temere factum quisquam existimare possit, ubique tuta & præformata jam a bonis & probatis Scriptoribus secutus es vestigia, nostrosque inprimis Theologos consuluisti diligenter, ut solida haberes fundamenta, quibus tota tua tractatio insisteret. Laudo igitur in hoc instituto tuo ardorem in discendo, diligentiam in inquirendo, in elaborando curam, modestiam in tractando, docilitatem denique in sequendis bonis consiliis, quæ tibi semper non minus desiderata fuerunt, quam gratissima. Augeat te divina gratia exoptatissimis profectibus, sibique te præparet porro benedictum sub disciplina sua instrumentum, quod aliquando Ecclesiæ Domini omni cum fide & pietate feliciter inserviat. Scripsi Tubingæ d. XX. Mart. A. D. MDCCXLVI.

D*Esertum à Domino Christum*, (mirabile dictu)
Hæc TUA, quam tradis, litera scripta docet.
Gratia TE Domini, precor, ut ne *deserat* unquam,
Sed TIBI cum fructu semper adesse velit.

Ita Venerabili atque Clarissimo Dn. Magistro Respondenti, Dissertationis hujus AUCTORI,
scribit Opponens,
M. JO. HENR. HOCHSTETTER,
Illustris Stip. Theologici Repetens.

NOn laudes TIBI dicimus: modestæ
Illas lex prohibet sodalitatis,
O nostri Pylades chori, laborum
Ætatisque comes! Sed hæc in aurem:
Quævis fausta TIBI precamur omnes,
Junctis protinus ac subinde dextris,
Nec mutis modo mutuisque dextris;
At dextris quoque consciis utrimque
Uniusque domesticis utrimque
Dextris pectoris hinc & hinc *probati*.

AMICO *posuere*
COMPROMOTIONALES.

T*heologi* est, Christi *Solius* verba tenere;
At res difficililes explicuisse, *Viri*. *
Idque facit si vis, *nulli commista iuuantis*
Virtuti; *fortis* sunt ea facta *Viri*.
Gloria non igitur specimen, WAGNERE, *relinquet*, **
Quo, quantum valeas, cognitione, doces.

*ita alludimus ad nomen, ANDREAS

**ita alludimus ad thema.

Compromotionali adposuit
M. SPRENGER.

WOrte, die man in dem Sterben mit Bedacht zurücke läßt,
Worte, die offt Schmerz, offt Liebe noch vom kalten Mund erpreßt,
Können uns gemeiniglich in besondre Regung bringen,
Und des Geistes trägen Sinn zu der Uberlegung zwingen.

Ihr

Ihr Verstand ist öffters wich
Daß man billig jeden Sylben
Wie bedenklich ist es nicht,
Und wenn Davids matter

Doch die Worte seines Soh
Sind von höhrer Krafft un

Hört nur diß: Mein GO

Starret hier nicht die Vernu
Freylich ist es gar bedencklich
Der, in dem der Gottheit F
Daß der ewge GOttes So
Welche, wie es scheinen will
Doch, mein Bruder! Dein
Und zertheilt den starken Neb
Dann Du zeigst den ächten
Fahre fort: Auf Deine Mü

Mit dies
Dissert
aufrich
ne besi

M

DEseritur; sine quo, qua
Quæ ratio? hæc: ho
Hæc subeunt, calamo cum
Anxia pendentis de c
Gratulor ista TIBI studii d
Quem colis, & redd

En Vener
RE,
Tuorn

ters wichtig, ihre Absicht geht so weit,
n Sylben eine stille Stunde weyht.
es nicht, wenn dort Jacob Abschied nimmet,
matter Mund noch sein Schwahnen-Lied an-
stimmet?
nes Sohnes, die Er an dem Creutze spricht,
Krafft und Nachdruck, sind von grösserem Ge-
wicht.
ein GOtt, mein GOtt! warum hastu mich
verlassen?
ie Vernunfft? Kan sie wohl die Klage fassen?
dencklich, daß der, so im Himmel thront,
Gottheit Fülle ewig und persönlich wohnt,
Ottes Sohn diese bittre Klage führet,
einen will, fast von der Verzweiflung rühret.
r! Deine Feder löset alle Schwierigkeit,
rken Nebel, der so manches Wetter dräut:
n ächten Sinn, und der Feinden blödes Dichten,
eine Müh folgen endlich doch die Früchten.

Mit diesem wolte dem Herrn AUCTORI dieser Dissertation als Seinem von vielen Jahren her aufrichtigen Freund und Compromotionali seine besondere Adfection bezeugen

M. G. F. Cloß, SS. Theol. Stud.

---

uo, quæ sunt, *deserta* videres;
hæc: homines *deseruere* DEUM.
mo cum CHRISTI atque ore virili
tis de cruce *verba* doces.
studii documenta; secundet
& reddat prœmia digna DEUS!

En Venerabilis atque Clarissime Domine WAGNERE, *tesseram amicitiæ, quam egregio studiorum Tuorum specimini gratulabunda mente adpono*

J. G. KNAPP, S. Th. C.